

Zur Kritik und Erklärung.

Caroli Friderici Hermanni Parergorum fasciculus tertius.

(Cf. vol. I, p. 573. III, p. 309. 439.)

XXV.

Philemonis et Menandri reliquias ut vel in tanta iactura cum aliquo tamen priscae virtutis sensu legamus, post Grotium et Bentleium in primis Meinekii diligentia effecit, cuius iam secundas curas in comitorum volumine quarto tenemus; vel sic tamen restare quae non sine aliqua probabilitate emendari possint, postquam nec ipsa summi viri modestia negavit, nos quoque aliquot exemplis fortuito oblatis demonstrare non dubitabimus. Statim in primo Philemonis fragmento ex *Ἀγύρτη* apud Stob. Serm. II. 26 primus versus:

πῶς πονηρόν ἐστὶν ἀνθρώπου φύσις

variis modis et a librariis et a doctis interpretibus suppletus est, quorum alii ω^3 πῶς, alii φεῦ ὡς, alii καὶ πῶς, alii ὄντως scripserunt: nuper denique Bothius ἀπλως legendum commendavit. Nos et sententiae et literarum ductibus accommodatissimum censemus πάντως, cf. Schaeff. Melet. crit. p.

130. — P. 9 parum acuminis habet lectio vulgata apud Stob. Serm. LXII, 28:

κἄν δούλος ἦ τις, οὐδὲν ἦττον, δέσποτα,
ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἂν ἄνθρωπος ἦ.

servus enim semper est homo, modo humaniter tractetur; ergo lege ἂν ἄνθρωπος ἦς. — P. 11 non necesse est τῶν δὲ μείζονα scribi pro ὧν δὲ, modo cum sequentibus iungas: ὧν δὲ μείζονα, τοῦτοις ἀνάγκη ταῦτα δουλεύειν αἰί: quae autem superant, ea his est semper servire necessitas. — P. 13 in Metionis loco apud Ath. IV, 10 ἀκήκοας a reliquo sermone separatum priori interlocutori tribuendum est, qui postquam alter ἰχθὺν ἐφθὸν μιὰρὸν fuisse dixit, coquum ut videtur increpat. — P. 19 Meinekium cum Clerico scripsit εἰς τοὺς τέτταρας, ubi Pollucis libri IX, 66 εἰς τέτταρας: iunctura fiet legendo εἰς γε τέτταρας, neque in sequenti versu necesse erit cum Hemsterhusio scribi ὑμῶν pro ἡμῶν, si quidem ipse qui loquitur, inter convivas habendus est. — P. 35 lacunam Meinekium supplevit addendo τί που, satis ut nobis videtur otiose; sententia flagitat λόγους. — Ibidem haud scio an paupertatis laudibus parum conveniat v. 10:

πᾶς γὰρ πένης ὧν μεγάλα κερδαίνει κακά:

immo opinor καλά: cf. Iahn. Archiv f. Philol. T. III, p. 247 sqq. — P. 41 Meinekium cum Grotio codicis verbis κτήσομαι τοῖχον ἄρας transpositis totum locum sic scripsit:

τούτων ἕκαστος ἔλεγεν· εἰς ἄρας ἐγὼ
πλεύσω, φυτεύσω, τοῖχον ἄρας κτήσομαι,

sed ut ipse intelligeret ad extremum versum aliquid deesse, quod sequentis initio adiectum fuisse censet, ἕτερον: *sublato pariete alium aedificabo*; nonne igitur praestat servato et codicis ordine et verbi κτήσασθαι significatu ita potius apertum mendum tollere: κτήσομαι τυχῶν ἀγρούς? — Ibidem mira est repetitio negativa verborum κεκύηκε τις, quae reliquorum membrorum concinnitatem turbat; neque necessarium videtur ut post τέθνηκε τις peculiare monitum accedat: μη δεινὸν ἔστω τοῦτό σοι. Vide igitur ne haec pro glosse-

mate polius tollenda sint poetaeque oratio sic simpliciter procedat:

τέθνηκέ τις, κεκύηκέ τις, ἠτύχηκέ τις

κ. τ. λ. Nam quod graviditas quoque inter mala memoratur, ad virginem vitiatam referendum est. — P. 45 non modo propter metrum incommoda est lectio vulgaris apud Clem. Alex. Paedag. III, p. 108, sed etiam propter τοῦ Πλαταιικοῦ mentionem, unde non video quomodo aut omnino Athenis aut certe Philemonis aetate mulier famulam habere potuerit, ut omittam σύστημα servorum secundum patrias ab antiquis moribus prorsus alienum esse; hoc autem sublato haud scio an reliquum locum etiam minore vulgati ordinis detrimento sic restituamus:

ἐκ τοῦ πλαγίου τε παρακολουθοῦντ' ἄν τινα

ταύτη κατιλλώπτειν κ. τ. λ.

P. 49 poeta divitem, qui bonis non fruatur, ἐγὼ μὲν inquit αὐτὸν οὐκέτ' ὄλβιον καλῶ,

φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα:

immo, opinor, εὐδαίμωνων. — P. 51 duobus versibus apud Clementem legitur Stromat. VI, p. 627:

ὀρῶσι πάντες πρῶτον, εἴτ' ἐθαύμασαν,

εἴτ' ἐπεθεώρησαν, εἴτ' εἰς ἐλπίδ' ἐπέπεσαν:

Bentleius demum correcto ἔπειτ' ἐπεθεώρησαν extremum verbum in tertii versus initium traxit, quem ex sequentibus apud Clementem verbis iam ita supplevit:

ἐπέπεσον, οὕτω γίγνεται ἐκ τούτων ἔρως.

Nobis tamen et numeris et sententiae aptior correctio videtur εἴτ' ἐπεθεώρουν, quo imperfecto iterata spectatio multo vividius pingitur; sequens versus, si modo fuit, facili negotio ita fere restituitur:

οὕτω δὲ γίγνεται ἀνδράσ' ἐκ τούτων ἔρως.

P. 57 parum inter se cocunt duo sententiae membra:

πονηρὸς ἂν ἢ δοῦλος εὐρήσει δίκην

σὺ μὴ γεννηθῆς τῆς δίκης προηγέτης,

neque apparet, cur scelestus ita demum poenas luat si servus

sit; in Cod. est: ἂν εἰ δοῦλος εὐρήσῃ: quidni igitur corrigamus: πονηρὸς ἂν ἢ δοῦλος εὐρίσκη δίκην? *Si scelestus vel servus poenam invenit, tu nolli poenae quasi praecursor existere.* — Ibidem:

ἐὰν γυνή γυναικί κατ' ἰδίαν ὀμιλεῖ,
μεγάλων κακῶν θησαυρὸς ἐξορύσσεται,

Meinekios pro ὀμιλεῖ legi vult συνῆ: commodius fuerit λαλῆ.

XXVI.

Philemone absoluto ad Menandrum pergentes iterum in primo fragmento offendunt numeri duriusculi:

ὦ μακάριόν μ' ὅστις γυναῖξ' οὐ λαμβάνω.

Videlicet pro Donatiano ὦ μακάριόν με, γυναῖκα οὐ λαμβάνω Clericus μακάριόν μ' ὅσπερ, Bentleius ὅτι, Grauertus ἐπεὶ, denique Bothius ὦ μακαριώτατόν με tentavit; quibus nostram quoque hariolationem addidisse venia certe dignum erit:

ὦ μακάριόν μ' οὐ γὰρ γυναῖκα λαμβάνω!

Ad eandem Adelphorum fabulam scite Meinekios p. 71 fragmentum apud Stob. Serm. XCVI. 11 servatum retulit; vellem tamen etiam primum versum in commodam formam redegisset, quam ita opinor facillime accipiet:

ἐστὶν γὰρ εἰς ἅπαντα δειλὸς οὐνδεής.

P. 74 etiam nunc Meinekios retinet constructionem alias a se commendatam verborum:

ἴδιον ἐπιθυμῶν μόνος μοι θάνατος οὗτος φαίνεται
εὐθάνατος, ἔχοντα πολλὰς χολλάδας κεῖσθαι παχύν,

ut nominativus ἐπιθυμῶν absolute praepositus pro dativo sit, et ἴδιον ἐπιθυμῶν significet *mortis genus peculiare expetere, quale vix aliis obtingat*; quorum utrum durius fieri dicam vix habeo; immo si semel a comica consuetudine discedere libet, videndum an poetae ante oculos fuerit Homeri versus Odys. XX. 204:

ἴδιον ὡς ἐνόησα δεδάκρυνται δέ μοι ὄσσε,

primaque verba separatim pronuncianda sint: ἴδιον ἐπιθυμῶν, *sudabam prae cupidine*. Sudorem certe etiam ad cupidinem translatum habemus apud Persium Sat. II, 53:

*si tibi crateras argenti incusaque pingui
auro dona feram, sudes, et pectore laevo
excutias guttas, laetari praetrepidum cor;*

dactylum autem ne a trochaicis quidem tetrametris alienum esse ostendit Epicharmus apud Ath. IX, 17:

τοῖς Ἑλεσινίοις φυλάσσων δαιμονίως ἀπώλεσα.

P. 90 vix arbitramur multum profecisse Porsonum, quum apud Ath. X, 65 pro *πᾶσιν πάλι νῦν*, quod in Laurentiano est, scriberet:

B. ἅπασι. A. πάλιν οὖν πῖθι· μαίνει γὰρ κακῶς.

Interrogat alter hominem, num iam helleborum biberit; cui hic commodissime opinor respondet: *πέρυσιν*, quo facto ille: *πάλιν νῦν πῖθι* κ. τ. λ. — P. 127 difficillimus locus est ex Orionis Antholognomico, quem librarius sic tradidit:

*ἀλλὰ θεὸς οὐδείς εἰς τὸν προκόλπιον φέρει
ἀργύριον, ἀλλ' ἔδωκεν εὐνοὺς γενόμενος,
πόρνης βουλὴν ἔδειξεν εὐπορίας τινός,
ἦν ἂν παρῆς, μηκέτι τὸν θεὸν αὐτῶ,*

ubi rectissime Schneidewinus v. 1 articulum τὸν sustulit et v. 4 sic constituit:

ἦν ἂν παρῆς, μηκέτ' αἰτιῶ θεόν,

tertium autem versum nec ipse feliciter emendavit nec Meinekius ulterius tentavit, quam ut sententiam aperiret; quod si malum a sagacissimis medicis desperatum audacius tractari licet, haec ad sensum certe apta proponimus:

*ἀλλὰ θεὸς οὐδείς εἰς προκόλπιον φέρει
ἀργύριον, οὐδ' ἔδωκεν εὐνοὺς γενόμενος,
ἀλλ' ἐπιβολὴν ἔδειξεν εὐπορίας τινός*

κ. τ. λ. *Εὐνοὺς γενόμενος* ad utrumque membrum pertinere facile patet; quod autem *ἀλλὰ* in *οὐδὲ* mutavi, idem error est p. 228, ubi manifesto legendum v. 7: *οὐδ' ἐπὶ τράπεζαν μὲν φέρειν* κ. τ. λ. — P. 143 non ea erat Clerici explicatio verborum *ἀλογίστου τρόπου ἀτύχημα φεύγειν ἐστὶν οὐκ ἀν-θαίρετον*, quam Meinekius assensu suo commendare deberet; sensus idem qui Philemonis sup. p. 41:

ὁ δ'εἴ παθεῖν σε μηδαμοῦ σκέψη φυγεῖν.

Solum enim malum, cui evitando hominem operam dare decet, illud est, quod in ipsius potestate est; quod divinitus immittatur, stultus sit qui fugere cupiat; id Menandro quoque placuisse etiam *Τιτθῆς* fragmentum p. 205 ostendit. — P. 153 haud scio an verba *μεστόν γε* iam ad Struthiae assentationem pertineant ut mox *μέγα γε*, noto particulae *γε* in responsis affirmativis usu, eademque causa est p. 155 versus *καὶ Ναννάριον ἔσχηκας ὄραιάν πάνυ*, quam ne eidem cui antecedentem tribuam, illud efficit, quod a Gracco sermone ut a Latino aliena videtur copula ante extremum demum enumerationis membrum inserta; vide igitur ne altero glorioso quattuor amicarum seriem memorante, assentator sermonem excipiens quintam insuper addet. — P. 161 temerarias Bothii coniecturas merito reiicimus; restat tamen quod nos quoque offendat laxum structurae vinculum, quo imprimis haec media minus et inter se et cum antecedentibus coeunt:

δραχμῶν μὲν ἀγαθὸν ἄξιον λαβεῖν δέκα
 ἡμᾶς, εἴαν καὶ καλλιερηθῆῖ τοῖς θεοῖς,
 τούτων δὲ πρὸς ταῦτ' ἀνελεῖν τὴν ζημίαν,
 πῶς οὐχὶ τὸ κακὸν τῶν ἀγαθῶν διπλάζεται:

Sententia haec sola esse potest, ut servus tantae impensae in sacrificium epulasque factae inaequalitatem esse dicat, ut etiam si dii benigne acceptis hostiis gratiam pro rata parte retulerint, damnum tamen tanta helluatione acceptum commoda divinitus oblata duplo superaturum sit; id vero ut efficiamus, antecedens versus in hanc formam redigendus erit:

μικροῦ τάλαντον γίγνεται. εἴτ' εἰ κατὰ λόγον,
 quo facto illud simul lucrabimur, ut κατὰ λόγον idoneam sensum nanciscatur *pro rata*, quo in vulgari lectione prorsus caret. Praeterea pro *ἀνελεῖν*, quod metrum turbat, commodissime restituetur *ἀνθελεῖν*; in primo autem versu

εἴτ' οὐχ' ὅμοια πράττομεν καὶ θύομεν

tollendum est interrogationis signum a Meinekio appositum, quia servus non *male sacrum* agi dicit, *quum male litent*, sed

male actum iri potius, si dii par pari referre vellent. — P. 167 mirum neminem adhuc restituisse, quod Priscianum XVIII, 25. 251 apud nostrum legisse necesse est, siquidem eius locum pro exemplo locutionis ὅσω χρόνῳ affert. Vulgo legitur: χαῖρ' ᾧ Γλυκέριον, vel ut Porsonus propius ad Prisciani codices ᾧ χαῖρε Γλυκέρα. ΓΑ. καὶ σὺ. Α. πολλο-
στῶ χρόνῳ ὄρω σε; Menander autem, nisi omnia fallunt, scripserat: καὶ σὺ πόλλ' — ὅσω χρόνῳ κ. τ. λ. Soph. Philoct. 598:

τίνος δ' Ἀτρεΐδαι τοῦδ' ἄγαν οὕτω χρόνῳ
τοσῶδ' ἐπεστρέφοντο πράγματος χάριν;

P. 182 praeposteram Clerici emendationem ἐπιμείνας pro ἐπέμεινας sequi Meinekii non debet; est protasis paratactica pro εἰ μικρὸν ἐπέμεινας: ubi *parumper substiteris, accurrit dicens* etc. — P. 189 multum se torserunt editores in emendandis Plocii verbis apud Gell. II, 23: εἴτ' ἐστὶ τὸ φρύ-
αγμα εἴπως ἀνυπόστατον; μὰ τὸν Δία κ. τ. λ. ipseque Meinekii sibi liquere negat; ego vero utrum caecutio an Menander scripsit φρύαγμα πῶς ὑπόστατον? — P. 205: ἦν ἄν τις ὑμῶν παιδίον ἤτῃσάτ' ἢ κέχηκεν, corrupte. Porsonus εἴτις: Meinekio aliud latere videtur; fortasse ἦδη. — P. 209 non intelligimus *senectutis* vocabulum in Hymnidis fragmento apud Max. Tyr. XI, 7 vel Stob. Serm. LXI. 3:

οὐ πάντῃ τι γηράσκουσιν αἱ τέχναι καλῶς,
ἂν μὴ λάβωσι προστάτην φιλόργυρον;

quid si scribamus χεῖρ' ἀσκοῦσι? — P. 212 Porsonum secutus Meinekii edidit:

ὁ προσδιατρίβων δ' ἐκοπίασεν ἀπολέσας,
non minus dure quam audacter, si quidem apud Stob. CXXI. 7 est δὲ κοπιάσας ἀπώλεσεν. Bothius ut solet ignem fumo ver-
tens ὁ δὲ προσδιατρίβην κοπιάσας ἀπώλεσεν: nos certe simplici-
cius: κοπίας ἀπώλεσεν. Hesych. P. II, p. 314: κοπίαί ἡσυν-
χίαι: quas qui diutius manendo amittit, opponitur ei qui ma-
turius discedens καταλύσεις invenit; v. 11 enim nihil mutan-
dum censemus. — P. 221 versus mancus:

τᾶνω κάτω, φασίν, τὰ κάτω δ' ἄνω:

in integro opinor fuit: τὰ δ' αὖ κάτω γ' ἄνω. — P. 252 ineptum esse παράλογισμός Meinekii intellexit; quas autem et ipse et Dobraeus mendo tollendo machinas adhibuerunt, vereor ne nimis vehementes fuerint. Sufficiat accentum mutasse:

ὄργῃ πάρα λογισμὸς ποτ' οὐδεὶς φύεται.

XXVIII.

M. Caelii Rufi ad Ciceronem epistolas fuerunt qui adeo corruptas putarent, ut ne periculum quidem emendandi facere vellent; nec qui nuperrime eas separatim edidit Surinarius ultra Orellium in eo negotio procedere conatus est; quod tamen ut levitatis potius quam modestiae signum esse ostendam, aliquot illarum epistolarum locos ita emendabo, ut vel propius quam ab Orellio aliisve factum est, ad codicis lectionem accedam. Sic in ep. II principio nequit sane ferri quod Mediceus praebet *me repraesentante pronuntiatum est*; quod autem Orellius substituit *me in re praesenti* et constructionem vix tolerabilem habet et originem corruptelae haudquaquam explicat; quae quum omnia magis quam terminationem *ante* afficere potuerit, vide ne Caelius scripserit *me stante*, cui superposito glossemate *praesente* primum *praesentante*, mox, ut notum scilicet vocabulum efficeretur, *repraesentante* scriptum est. *Stans* opponitur *sedenti*, cuius aliquod munus in iudicio est, ut Cn. Pompeii, *quum ut laudaret P. Sestium, introisset in urbem* (Famil. I. 9; cf. Vatin. c. 7. Philipp. II, 38 etc.); *stans* autem in corona adest, ut Orat. c. 63: *me stante C. Carbo tribunus plebis in concione dixit* etc. Ibidem §. 1 extr. in Mediceo corrupte legitur *sed tota bene*, pro quo Benedictus ad sensum recte *sed tum tam bene*, Orellius nescio cur *tum ita bene*, unde vix arbitror *tota* oriri potuisse; potuit vero facillime ex *tō tā* i. e. *tunc tam*, nec vim loci *tum* magis quam *tunc* postulare puto. — Ep. IV, §. 1. extr. maximopere vereor ut sano iudicio usi sint, qui codicis lectionem quamvis depravatam: *nisi nostrisque acutius viderent* in *nisi nostri equites* mutarunt, quorum equitum non in-

telligo quod acumen in Dolabella ad quindecimviratum promovendo esse potuerit; immo familiares et necessarii Dolabellae, qui eidem Caelii fuerunt, eum retinuisse videntur ne adversario concederet; nec multum mihi aberrare videor, si ita potius Caelium scripsisse statuo: *et hercules nisi nos nostrigae acutius vidissent, paene concedente adversario superasset.* Ne enim *vidissemus* Caelius scriberet, modestia prohibuisse videtur; neque inauditam esse verbi structuram ad sequiorem personam compositam, ostendit Ciceronis exemplum Fam. III. 5: *primum ut ipse tu tuique omnes, deinde ut etiam reliqui scire possint*, geminumque ipsius Caelii VIII, 10: *ut vos aut successores parvis additis copiis sustinere possint.* Pariter, ut hoc in transcurso moneam, Caelius ipse defendit eiusdem epistolae structuram: *in evitandis iis consiliis, qui se intenderunt adversarios in eius tribunatum*, ubi plerique iis aut delendum aut in eorum mutandum censuerunt; at cf. ep. VIII, 8: *ex eo numero, quos ex SCto in provincias ire oporteret* etc. Ibid. §. 4 corrupta esse non nego extrema horum: *mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Caesari Pompeius, quo numero esset, quo appeteretur*; Lambini autem coniecturam *quo appellaretur* nec sensum probabilem restituere nec literarum ductus fideliter sequi certum est, quorum utriusque longe melius consulemus scribendo: *quoad pateretur.* Nempe *quoad* quamvis raro, attamen interdum etiam interrogative usurpari testatur Terentius Phorm. I, 2, 98: *quid? senem quoad exspectatis vestrum?* Hoc igitur sumpto nunc quoque commodissima erit senatorum interrogatio, quod ad tempus Pompeius Caesarem legionem illam suam retinere velit? — Ep. V extr. codex habet: *hoc sic praeterito anno Curio tribunus et eadem actio de provinciis introivit, ut quam facile nunc sit omnia impedire, et quam hoc Caesari qui sua causa rem publicam non curent, superet, non te fallit.* Orellius, quod mireris, quum reliqua pro desperatis intacta mitteret, si tamen pro sic scripsit, praeter ullam necessitatem, quum nec sententia protasin postulet nec

sic post querelas de tempore publico vi sua careat, praeterito autem in abl. abs. geminum exemplum habeat Republ. II, 20: his enim regibus quadraginta et ducentis annis praeteritis. In sequentibus demum levibus mutationibus opus est, ut *introibit*, quod iam Victorius et Lambinus restituerunt, moxque *at pro ut* insertaque post *Caesari* copula *et*; sic autem omnia aequabiliter procedent, nec video cur Orellius *superet* idoneam sententiam praebere neget, quum significatio *abunde esse* neque ab notione neque ab usu eius verbi abhorreat; cf. Cicero Finib. V. 15: *deque eo quod ipsis superat aliis gratificari volunt*; Pompeius apud eundem Att. VIII, 12: *arma superant*; Virgilius Georg. I. 189: *si superant fetus, pariter frumenta sequuntur*; quosque laudat Kritzius ad Sallust. Catil. p. 103. — Ep. VIII §. 5 mira profecto leguntur in Senatusconsulto: *et quum de ea re ad senatum referretur a consulibus, qui eorum in CCC iudicibus essent, sex adducere liceret*, non minus tamen miri docti editores, qui quum *trecentos iudices* integros reliquerunt, *sex* corrumpi ex *eos* potuisse putarunt. Equidem non dubito quin in *CCC iudicibus* lateant *dec. iud.* hoc est *decuriae iudicum*; nec longius a vero recedamus, ubi substitutam pro *sex* notam numeralem *VI* non illam quidem, quod proclive foret, in *vi*, attamen in solum illud *ut* mutaverimus, quod in singulis SClī capitibus iteratur: *qui eorum in decuriis iudicum essent, ut adducere liceret.* Denique ep. X nihil alienius a vera lectione cogitari potest, quam quod Orellius Victorium secutus edidit: *multa tempus afferet, praeparata multa rescio*, ubi in codice est: *multa tempus afferre et praeparata multa rescio!* Multo propius accessit Ascensius scribendo: *multa tempus afferre et praeparata mutare te perspicere scio*; ubi modo otiosum illud et temere illatum *te perspicere* sustuleris, genuinam Caelii manum ne librarium quidem una literula amplius mutasse intelliges.

XXVIII.

In Corpore Inscriptionum Boeckhiano T. II, p. 76

legitur epigramma sepulcrale senariis iambicis conscriptum, cuius primos quinque versus ita subieciimus, ut a Meinekio in Zeitschr. f. d. Alterth. 1844, p. 1048 emendati sunt:

Ὀδῖτα βαιὸν σάματι σταθεῖς πάρα
Μάθοις κεν ἀτρέκειαν ἴσθι δ' ὡς πατρὸς
Ἀθηνίωνος οὖν ταφῆσι κληῖζεται,
Καὶ Μνασέαν ἀνδασον οὖνομα φθιτοῦ,
Καὶ γνῶθι μύθους, οἷς ὁ φῶς ἐτέρπετο:

sequentibus autem quattuor neque illius acumen neque ipsius Boeckhii aut Welckeri, qui idem carmen in Syll. epigr. p. 36 tractavit, eam opem attulit, in qua acquiescere possumus. Et Welkerus quidem asterisco appposito sic edidit:

Ἄισεν τὰ κόσμον σεμνά καὶ δι' ἀστέρων
Δι[ἧλθ]ε τὰν ἀγῶπὸν αἰθεροδρομῶ[ν
Ἀταρπὸν· ἥδει] καὶ γεωμόρων τέχνην,
Γραμμαῖσιν ἰχνεύτειραν· εὖ δ' ἀείδιον
Κατεῖδ' Ὀμήρου δέλτον, ἄς ἐνὶ πτυχαῖς
Οὐπιπλανάτας ἐστὶ Λαοτίου γόνος κ. τ. λ.

Boeckhii lapidis scripturam v. 6 AIMEN sine dubio rectus in ᾧ μὲν convertit, cui mox v. 8 ᾧ δὲ καὶ γεωμόρον τέχνην respondeat, idemque pro ἀγῶπὸν αἰθεροδρομῶν ἀταρπὸν maluit πυρῶπὸν αἰθεροδρομῶν κέλευθον scribere, in quo tamen equidem participium longe praeferam; denique Meinekio δ τριπλανάτας pro οὐπιπλανάτας eleganter suasit sequentemque versum ingeniosissime sic restituit:

καὶ μῆνις ἅ βαρεῖα τῶν ἀπ' Ἀτρέως:

solum illud εὖ δ' ἀείδιον v. 9. nec hic tetigit, neque aut Graefius εὖ δ' ἀηδόνα aut Boeckhio εὐδοεῖν δὲ οἷ λέγοντο vel sibi vel aliis suffecisse videntur. Inter apographos Dodwellus exhibet EYAAEΛOΙ, Schinas EYAAEINTOΙ, Mustoxydes EYAAEINAEOΙ. Quid si revera scriptum erat εἰ δ' ᾧδεῖν δέοι, hoc est: sin ab astronomia et geometria ad carmina et poetas converteretur? Transitus fere idem qui apud Persium Sat. I. 67:

Sive opus in mores, in luxum et prandia regum

Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae;
 similis autem formulae ἦν δὲ δέη exempla conguessit Hemster-
 husius ad Lucian. T. I. p. 413 ed. Bipont.

XXIX.

Aesopi fabulas, quales Franciscus de Furia edidit, pes-
 sime habitas esse non metrorum tantum vestigia, quibus nu-
 per faustissimum Babrii inventum accessit, sed ipsa sententia
 haud raro arguit, quam ne Schneiderus quidem, qui egregiam
 in illis operam posuit, ubique restituisse videtur. Sic in prima
 fabula οὗ κωλυθέντος ἐπὶ τῇ καλιῶ corruptum esse iam Furia
 intellexit, sed nec quod hic coniecit, *καλυφθέντος* aut *κυ-
 λισθέντος* nec Schneideri commentum *κολληθέντος* commodum
 sensum praebet, quem simplicissime restituamus scribendo
καυθέντος. Item fab. XXXIII satis ineptum est *ἐκ πόθου*,
 quasi desiderium thesauri aut hac ratione declarari possit, aut,
 si possit, diserta declaratione indigeat; multo certe aptius fuerit
 legisse *κατέσκαψαν πᾶσαν τὴν γῆν ἐκ βυθοῦ*. Fab. XLV vix
 monitu opus est non solum *μηνιμάτων* pro *μηνιμάτων*, sed
 etiam *καταδέσεις* pro *καταθέσεις* scribendum esse, de quibus
 cf. Toup. ad Theocr. Idyll. II, 3 quosque laudavi in Lehrbuch
 d. gottesdienst. Alterth. §. 41, not. 8, nisi forte alicui
 praestare videatur *καταθύσεις*, ut apud Theocritum est: *ὡς
 τὸν ἐμὸν βαρνεῦντα φίλον καταθύσομαι ἄνδρα*. Fab. LVI
 verba *αὐτοῦ τὴν φιλοφροσύνην* manifesto tollenda sunt, ut
 continua oratione legatur *καὶ ἀράμενος διεπέρασεν αὐτόν*:
 illa vero glossemati ad *τὸν εὐεργέτην* adscripto originem de-
 buerunt. Fab. LXIII in epimythio pro *περὶ* legendum *παρὰ
 τὴν ἡμετέραν ὑπόληψιν*: item fab. LV *τοῦτο ἴσασθαι* pro
τοῦτον et fab. LXVII *προσελευσόμεθα* pro *προελευσόμεθα*,
 unde dativus *σοι* pendere vix potest. Fab. LXX ἤμελλε tol-
 lendum est tanquam glossema antecedentis *οἷός τε ἦν*, cuius
 eadem vis est; cf. Isaeus de Hagn. hered. §. 16, Demosth.
 Aristocr. §. 170, Mid. §. 85, Plutarch. Apophth. p. 203 d,
 Dio Chrysost. LII, p. 552, Diog. L. VII, 19. Alciph. Ep'st.

I, 22, Iambl. V. Pythag. §. 261, Longus Pastor. IV. 12, Achill. Tat. IV, 1 etc. Fab. CXXXIX ex vulg. lect. asinus ἀφείς τὴν λείαν ἀτὰρ διὰ κρημῶν ἐφέρετο, ubi Schneiderus p. 90 ad λείαν intelligit ὁδόν, *viam tritam*; id vero quum nec ipsum commode dicatur neque particulae ἀτὰρ usus huic loco conveniat, haud inepta opinor correctura erit ἀφείς τὴν λεωφόρον διὰ κρ. ἐσ. Fab. CCLVI pudor, quem Iuppiter hominibus indere oblitus est, διὰ τοῦ ὄχλου εἰσελθεῖν iussus τὸ μὲν πρῶτον ἀντιλέγει tanquam indigna patiens, quod Schneiderus p. 100 ita explicat: *fingitur mens humana affectibus ita repleta, ut pudori aditus praeclusus fuerit: quemadmodum igitur domum hominibus refertam ingressuris propellendi sunt obstantes, ita et pudori via in mentem aperienda erat per ceterorum affectuum turbam, quod moleste tulit*; at aliud opinor est moleste ferre ἀγανακτεῖν, aliud ἀναξιοπαθεῖν, quod non ingratum tantum, verum etiam turpe iussum innuit, neque apparet, quomodo pudor hominibus deesse potius quam cupiditatum obstacula frangere malit; denique cur soli cinaedi pudore careant, si hic omnino se mansurum negat, si amor secum una intraverit? Ita enim concluditur fabula: ἀπὸ δὴ τούτου συνέβη πάντας τοὺς πόρνοὺς ἀναισχύντους εἶναι, quae qui recte intellexerit, vix dubitabit quin pro διὰ τοῦ ὄχλου potius legendum sit διὰ τοῦ ὄρρου, *per anum*, quanquam mature corruptelam invasisse iam alterum epimythium ostendit, quod omnes amantes eodem impudentiae opprobrio comprehendit: ὁ μῦθος δηλοῖ ὅτι τοὺς ἐπ' ἔρωτος κατεχομένους ἀναισχύντους εἶναι συμβαίνει! Postremo, quoniam in impudica delati sumus, eiusdem generis correcturam fab. CCCXXV postulat, ubi mascula hyaena feminae παρὰ φύσιν διατεθῆναι dicitur; nobis qui obtemperabit, pro διετέθη scribet διελέχθη cuius solennem in Venereis usum docte Piersonus ad Moeridem p. 131 illustravit, nec *tentandi* vim alienam esse ostendit Aeschines adv. Timarch. §. 57: πρῶτον μὲν οὖν τῷ Πιτταλάκῳ διελέχθη δέομενος παραδοῦναι τούτον.

XXX.

Virgilius Aeneid. IV. 587 descripturus quomodo Dido clandestinam Aeneae profectionem tulerit, ab his versibus narrandi principium facit:

Regina e speculis ut primum albescere lucem

Vidit et aequatis classem procedere velis,

ubi si quid turbatum sit, antiquissimam corruptelam esse non solum librorum consensus sed etiam Servii auctoritas testatur, qui *aequatis velis* comparat *aequatas auras* ex Aeneid. V, 844, ut sint *feliciter plena, sine motu aliquo*; fateor tamen hanc explicationem mihi non magis arridere quam comparisonem *νηὸς ἕϊσης* ex Homero, quae vel ideo aliena est, quia talis aequalitas, qualem illic inter velorum ordines obtinere volunt, in plures naves, non in singulas cadit. An unicuique navi *vela aequata* convenient, ut sint *aequaliter plena, leni et secundo vento a tergo impellente*? Ita Heynius, qui tamen non explicavit, quomodo haec aequalitas, praesertim cum levitate venti coniuncta, ad celeritatem proficicendi pertineat, quae sola sine summae ieiunitatis specie in hoc epitheto latere potest; idemque Servianae interpretationi obstat, quae, si maxime *vela aequata* dicere liceat quae *auris aequatis* impelluntur, semper tamen levem et aequabilem potius quam rapidum cursum describeret. Restat ut *aequata vela* accipiamus ut *rostra* Aeneid. V. 234, vel *militarium ordinum frontes aequatas* Tibull. IV. 1. 102 *Pelionve summas aequatum ornos* Valer. Flacc. II. 6, ut velut pompam navalem artificiose dispositam habeamus, in qua nulli praeter ceteras excurrere licuerit; sed haec quoque descriptio, ut mihi videtur, ieiuna et a tota loci sententia aliena fuerit, cui multo aptius convenire dixerim *arcuata vela*, hoc est in *arcuum* speciem inflata nec secundo tantum verum etiam vehementer urgente vento impulsa. Sic *arcuatum currum* Livius I. 21 appellat velis per arcum curvatis adopertum, neque aliena est millipeda apud Plinium Hist. N. XXIX. 39, *animal multis pedibus*

arcuatim repens; pronunciationem autem trisyllabam confirmat insignissimum Ovidii exemplum *Metam.* XI, 590:

Iris et arcuato coelum curvamine signans,
ubi si cum plerisque editoribus *arquato* scripseris, etiam propius ad nostrae corruptelae originem accedes; nec si Latinis caremus quae ipsa *vela arcuata* exhibeant, Graeca auctoritas deest, quam etiam magis secutum esse Virgilium constat, Apollonii *Argon.* I, 1278:

κυρτώθη δ' ἀνέμῳ λίνα μεσσόθι, τῆλε ἀπ' ἀκτῆς
γηθόσσυνοι φορέοντο παρὰ Ποσιδηΐον ἄκρην:

Brunckii *Analect.* III, p. 89: λαίφρα κυρτώσαντες ἀταρβέες
ἔξιτε ναῦται κ. τ. λ.

(Quod superest, proximus fasciculus tenebit).